

delicti qualitas hoc exegerit, ad sedem apostolicam cum testimonio litterarum abbatis vel capituli veniant absolvendi. Vobis quoque districtius inhibemus, ut sententiam ab ipsis fratribus in suos vel hominum suorum malefactores latam auctoritate propria nullatenus relaxetis.

Datum Ronie apud Sanctum Petrum, xv Kalendas Martii, pontificatus nostri anno primo.

## LX.

*Ecclesiæ Eugubinæ possessiones, rogatu Bentivoli episcopi confirmat.*

(Laterani, Febr. 25.)

[UCELLI, *Italia sacra*, I, 641.]

Cœlestinus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri BENTIVOLO Eugubino episcopo, ejusque successoribus canonice promovendis in perpetuum.

Quoties illud a nobis, etc., impertiri, etc. Quocirca, ven. fr. episcope, tuis justis postulationibus clementer impertimur assensum, et Eugubinam Ecclesiam, cui, auctore Deo, præesse dignosceris, ad exemplum felicis recordationis Alexandri prædecessoris nostri Rom. pontif. cum omnibus ad eam pertinentibus, præsentis scripti pagina communimus, statuentes, ut quascunque possessiones, quæcunque bona, quæ eadem Ecclesia impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma tibi, tuisque successoribus, et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimentia vocabulis:

Possessionem Cerri, et Cagnani, et ecclesiam S. Cypriani, castrum Albaneti cum pertinentiis suis, castrum Anea cum pertinentiis suis, castrum S. Mariæ, castrum Salicæ, castrum in Monte, duas partes castri Anagni, castrum collis Casalis, castrum Tertiani, castrum Castilionis Ildebrandi, castrum castellionæ Martiaulæ, castrum Carbonanæ, castellare post Serram, castellare Sasallera, castrum Burani, dimidium cum publicis circumjacentibus, castrum Arsenii, partem quam Theobaldus dedit episcopatu, cum dimidia cunctarum possessionum suarum, castellare Albaneti, castellare Majulæ, castellaris Seucliani, partem cum villa Decimi, castellare Scattiali, et ecclesiam S. Clementis cum suis pertinentiis, medietatem, castelliones Montis Calui, castellare Agellionis, curtem Campelliones, ecclesiam S. Donati cum suis pertinentiis, canonicam S. Secundi prope dictam civitatem sitam cum omnibus suis pertinentiis, et ecclesiam S. Laurentii, et ecclesiam S. Martini cum omnibus earum pertinentiis, terram S. Mariani, quam tenent filii Carboni, ecclesiam S. Mariæ ad Mertam cum suis pertinentiis. Præterea studii tui sit primitias, decimas, oblationes, tam vivorum quam mortuorum, secundum canonicas distribuere sanctiones.

Decerainius ergo, etc.

Ego Cœlestinus, catholicæ Ecclesiæ episcopus.

A Ego Albinus, Albanensis episcopus.

Ego Joannes, Prænestinus episcopus.

Ego Pandulphus, bas. XII Apostolorum presbyt. card.

Ego Melior, SS. Jo. et Pauli presb. card. tit.... par....

Ego Romanus, tit. S. Anastasiæ presb. card.

Ego Joannes, tit. S. Stephani in Cœlio monte presb. card.

Ego Gratinus, SS. Cosmæ et Damiani diacon. card.

Ego Gerard., S. Adriani diacon. card.

Ego Rosfredus, S. Mariæ Inviolatæ diacon. card.

Ego Joannes, S. Theodori diacon. card.

Ego Bernardus, S. Mariæ Novæ diacon. card.

Ego Lotharius, SS. Sergii et Bacchi diaconus B card.

Ego Nicolaus, S. Mariæ in Cosmedin diacon. card.

Dat. Laterani, per manum Aegidii S. Nicolai in Carcere Tulliano diaconi card., v Kal. Martii, ind. x, Incarn. Dom. an. 1191, pontif. vero D. Cœlestini III anno I.

## LXI.

*Monasterio Cluniacensi ecclesias quasdam asserit.*

(Laterani, Febr. 27.)

[Bullar. Cluniac., p. 94.]

Cœlestinus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et monachis Cluniacen., salutem et apostolicam benedictionem.

Piis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, et vota quæ a recto rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, ecclesiam Sanctæ Mariæ Montis-Meruti juxta Bellavillam de Sollenat, et Sancti Desiderii ecclesias in archiepiscopatu Lugdunensi, et ecclesiam de Hermes in episcopatu Bellicensi, sicut eas juste et pacifice possidetis, vobis et per vos monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indigationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Laterani, iii Kal. Martii, pontificatus nostri anno primo.

## LXII.

*Ad [Bentivolum] episcopum et clericum Eugubinum,  
— De sancti Ubaldi canonizatione.*

(Laterani, Mart. 4.)

[MANSI, Concil., XXII, 596.]

Cœlestinus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri B. episcopo, et dilectis filiis B. priori, et clero, et populo Eugubino, salutem et apostolicam benedictionem.

Benedictus Deus in donis suis, et sanctus in omnibus operibus suis, qui secundum multitudinem miserationum suarum illis qui natura fuerant fili